



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Quàm necessaria Germaniæ Canisij præsentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

societatis generalem Vicarium literas hasce dedi-
de Canisio.

Pater Canisius significavit mihi in urbem se se
vocari ad novi Praepositi creationē, quod quā-
quam prudenter factum aequum est interpretari
visum tamen est mihi Paternitati tuae exponere
quis apud nos rerum sit status. Catholici Principes
paucos apud se Theologos habent, qui cum integra
doctrina spiritum rectum, ac feruens studium reli-
gionis coniunctum habeant: ita ut cum graues in-
cidunt casus idonei, ac parati sint ad ipsos Prin-
ces confirmandos, & quae ex usu, & dignitate Ec-
clesiae sanctae sint, liberè eis suggerenda: quod quidem
egregiè à Patre Canisio praestari notum est satis
quidem cum in memet ipso expertus sum, tum in
aliis multis Proceribus planè comperi quanto arde-
re, quanta & caritate, & Christiana sapientia
gotiatus semper sit sua talenta, praesertim in Com-
itiis, & consentibus Imperij. Quod si quando eum
opera opportuna fuit, ut semper fuit, facile est in-
telligere in cōventu, qui proximè est habendus ma-
ximè & opportunam, & necessariam fore. Quippe
non Protestantes modò, sed etiam Catholicorum
quidam comparant se se, cumq; ipsis Protestantibus

Quam necessa-
ria Germania
Canisij praes-
entia.

bus conspirare videntur, ut in eo conuentu agant, efficiantq; ut multa religionis capita, atq; Ecclesie precepta, quæ ipsi voluntarii iuris putant esse, posthac pro cuiusq; voluntate, & arbitrio, sicut afflatus sibi quisq; videbitur, obseruentur. Ergo quoniam in rebus huiusmodi decernendis tractanda erunt res summi momenti, sic habeto Pater, Canisium in existimatione ea apud Germanie Principes esse, ut si prasens adsit, monitis suis, acribusq; cohortationibus, tum doctrina, ac sapientia sua, ad hec eloquentia, & concionibus, deniq; sincere sanctitatis exemplis immensum, longeq; amplius, quam cogitari queat, promoturus sit, maximè apud Moguntinum, ac Treuirenses Electores, & apud Herbipolitanum Episcopum, ac Principes alios, qui plusquam facile creditu sit, Canisio tribuunt.

Hæc Romæ Vicarius Borgia cum accepisset, & deliberationem ad Patres reiecisset Germanos, nihil opus deliberatione fuit, dilato proximū in annū Imperij conuētū. Itaq; Canisius, vbi quadragenarium dicendi pensum Augustæ persoluit, in Italiam venit: tum quoque Othone Cardinali literis, psequente suppliciterq; pugnante, ut primo quoque tempore redderetur Germaniæ, quod in

Romam Venit
ad creandum
Generalem.